Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

3. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Visual Library

In canonibus vulgatis Concilij Meldenſis, pro eo quod Regino & Burchardus habent converſatio reprehenſibilis contemptibilem reddat, *legitur* converſatio reprehenſibilis periculosè devaſtet. *Quæ verò dein ſequuntur apud Reginonem & Burchardum, non extant in canone illo Concilij Meldenſis.*

De eadem re. *Ex Capitulis ſynodalibus Karoli Imperatoris tit.* CIII.

Lib. 1. Capitular. c. 109.

III. Epiſcopos itaque monemus ut ſive per ſe ſive per vicarios pabulum verbi divini ſedulò populis adminiſtrent: quia, ut ait beatus Gregorius, iram contra ſe occulti judicis excitat ſacerdos, ſi ſine prædicationis ſonitu incedit.

S. Gregor. lib. 1. epiſt. 24.

Quòd à Rege poſtulandum ſit ut Epiſcopi tempore opportuno ad miniſterium ſibi commiſſum vacare poſſint. *Ex ſupradicto Concilio tit.* IV.

Concil. Meld. c. 28. & in Capitulis Karoli Calvi tit. VI. c. 28.

IV. Ut regia magnificentia liberiorem libertatem Epiſcopis ad peragendum in eorum parrœchiis miniſterium præſtet quàm hactenus propter diverſas perturbationes habuiſſent. Ipſi autem Epiſcopi conceſſum ſibi otium non in ſuas voluptates, ſed in divinum & officioſum convertant negotium: quatinus ſtudentes prædicationibus, correctioni, atque confirmationi, quod hactenus per parrœchias fuit neglectum, ſollerter de cetero ſit emendatum.

Ne